



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 2. De sacris vestibus, & earum significatione

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

nis munditia, de quibus differere ad scholasticos spectat: vestes item compositæ, & modestæ, quæ sordibus careant & pompa, nec quicquam redoleant. quod à statu sacerdotis alienum sit. Tum quia Christus ante hujus sacramenti institutionem lavit pedes discipulorum suorum, debet sacerdos pedes animæ, qui sunt affectus, ab omni macula expurgare, cor lacrymis abluere, & dum manus lavat actu ferventissimo contritionis omnem vel levissimam culpam expiare. Cum verò lotis manibus hostiam patenæ imponet, intentionem renovabit, considerans quod ille panis mox fiet corpus Christi: tum ex suæ vilitatis & immensæ dignitatis hujus mysterii apprehensione actus eliciet timoris & confusionis.

s. II. *De sacris Vestibus, & earum significatione.*

Sicut Reges & Magistratus non vulgari & quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quo potestas eorum appareat, & ipsis reverentia concilietur: ita sacerdos celebraturus sacro & peculiari utitur habitu, amictu scilicet, alba, cingulo, manipulo, stola, casula, sive planeta, quibus & passio Christi ante sacrificium recolenda representatur, & ejusdem virtutes exprimuntur, quibus ornari celebrantem par est, ut sacerdotio fungatur in justitia & sanctitate veritatis. Cum enim hoc sacrificium incruentum idem sit cum sacrificio crucis, ut supra explicavimus, congruum est ut sacerdos, qui Christi pro nobis morientis personam gerit, ejus quoque similitudinem habeat in vestimentis; idque ad decus & reverentiam sacrificii adhibeatur, quod impius Iudæorum furor ad contumeliam intulit Salvatori. Porro Amictus velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cum percutiebant eum illudentes & dicentes, *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* Alba vestem albam denotat, qua ab Herode tanquam stultus indutus fuit.

Cingulum funes, quibus in horto vinxerunt eum; sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissime cæciderunt. Manipulus vincula, quibus adstrictæ sunt manus ejus tanquam hominis nefarii & scelerati. Stola funes collo ejus injectos, sive crucis patibulum humeris ejus impositum, & in quo pro nobis pependit. Planeta vestem purpuream, quam ei milites in domo Pilati tanquam ludicro Regi imposuerunt. Cum igitur hæc indumenta signa sint eorum, quæ Christus pro nobis perpeffus est, varii actus à sacerdote, dum illis induitur, eliciendi sunt, amoris, doloris, gratitudinis, & intensissimi desiderii ejus patientiam & humilitatem imitandi in doloribus, afflictionibus, opprobriis, aliisque adversitatibus sustinendis.

Considerandæ sunt etiam virtutes, quæ per eadem indumenta mysticè designantur, ut discat sacerdos qua vitæ sanctimonia & morum integritate præditus esse debeat: scriptum est enim, *Sacerdotes tui induantur justitiam*, omnibus scilicet virtutibus ornati sint, quas justitiæ nomine passim sacre litteræ comprehendunt.

Amictus itaque significat oportere mentem in æternæ dumtaxat salutis, rerumque cælestium consideratione fixam habere, ab omnibus curis rerum caducarum amotam, & contra quoscumque hostium incursus spe & fiducia in Deum tanquam galea salutari communitam. Refert etiam Amictus Christi Domini humanitatem, cujus caput Divinitas est, quæ ab illa occultatur, sicut Amictus caput tegit sacerdotis. Neque enim oculi nostri Solis justitiæ infinitum splendorem intueri potuissent, nisi carnis nube operiretur. Quare Sacerdos, cum illum accipiens osculatur & capiti imponit, se amoris osculo sacratissimam Christi Humanitatem tangere, & capiti imponere putet, ut ea se protegat & tueatur, dicens cum Propheta, *Domine virtus salvis mee, obumbrasti caput meum in die belli*. Obiter quoque per Amictum monetur sacerdos maximam serya-

re oculorum modestiam, cum pergit ad Altare, & ibi manet, & ab eo redit, nihil prorsus aspiciendo, nisi quod necessarium est, ut videat quod facit.

Alba totum corpus regens innocentiam, simplicitatem, puritatem, animique candorem, & pulchritudinem indicat, quæ totum sacerdotem complecti & exornare intus & extra debet, atque in omnibus operibus ejus splendere, ut sit sanctus & immaculatus in conspectu Dei, seque talem semper exhibeat divinis mysteriis celebrandis.

Cingulum indicium est Castitatis, quæ in sacerdote ita splendere debet, ut nullam prorsus tam in corpore quam in corde admittat labem. In cujus rei typum jussit olim Deus, ut comedentes Agnum accingerent renes suos: & ipse Christus ait, *Sint lumbi vestri præcincti*. Idem quoque B. Joanni apparuit in Apocalypsi præcinctus zona aurea, ut nimirum intelligamus oportere nos omnes affectus purificare, & amorem carnalem vincere spirituali, quod est aurum charitatis.

Manipulus præmissio crucis osculo sinistro brachio infertus, ostendit lacrymas, dolorem, & pœnitentiam, quibus lugere peccata ac perpetuo dolere sacerdos debet; carnis item & spiritus mortificationem, & humilitatem, qua accedendum est ad altare; tum futuram bonorum operum retributionem, sicut Psalmographus cecinit: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*.

Stola collo superposita, & in modum crucis per medium pectoris ducta, demonstrat sacerdotem teneri se Deo unire & quodammodo colligare, suamque crucem Dei causa patienter ferre, divinæ legi cum omni obedientia se subicere, ejusque jugum alacriter portare, ac semper memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea.

Casula, quæ cæteris vestibus splendidior & pretiosior

illis superinduitur, signum est Charitatis, quæ reliquis virtutibus excelsior omnibus supereminet tanquam illarum Regina, & vinculum perfectionis. Omnes enim sine ea sunt imperfectæ, ab ea pendent omnia mandata divinæ legis: & omnia bona in ipsa continentur. Sicut autem casula in duas partes dividitur, ita charitas duplex est, erga Deum & proximum: & sicut illa varios exigit colores juxta temporis aut festivitatis diversitatem; ita hæc varios affectus, nunc lætitiæ ob Dei magnalia, nunc gratitudinis ob ejus beneficia, nunc fortitudinis in adversis, nunc tristitiæ ob propria & aliena peccata.

Hæ sunt præcipuæ virtutes, quas vestes sacerdotales significant, quarum actibus induere se debet sacerdos, ut suum dignè offerat sacrificium. Consuetas autem Ecclesiæ preces singulis indumentis accomodatas attentè & devotè recitabit: & cum indutus fuerit seipsum considerabit tanquam lupum in vestimentis ovium, & rubore suffusus veniam à Deo flagitabit.

§. III. *De accessu Sacerdotis ad Altare.*

SI ad omnes sacras functiones sanctè accedendum, & omnes sanctè peragenda sunt; multò majori sanctitate hoc divinum sacrificium offerendum est, quo nihil sanctius, nihil excellentius, nihil divinius esse potest. Ad hoc omni conatu niti debes, Christiane sacerdos, si tam sublimi, & tremendo ministerio ritè & perfectè fungi desideras. Qua in re ut tibi profim, documenta quædam generalia præmittam: deinde sigillatim proponam aliquot considerationes pro singulis sacrificii partibus, ex quibus pios elicere affectus possis, & mentem utiliter occupare, ne distrahatur. Neque deterrearis si hujusmodi considerationes & affectus aliquantò fufius explicavero: licet enim multis verbis describantur, possunt tamen in momento elici, nec Missæ celebrationem solito prolixior reddent, ut re ipsa experieris; nam ipso usu memo-